

Dux super rivum quendam in campis parentibus castra metatus est, & rex Barletum seu castrum Baroli exiens inter vineas exercitus sui castra diffudit. Cumque sic triduo utroque exercitu stante neuter contra alterum aciem dirigeret, Dux **LODEVICUS**, victualium compulsius penuria, locum mutans ad loca, quæ propè tenuit munita, secessit. Mortuo duce Andogavenfi **Dux OTTO** solvitur à carcere, & in quodam castello sub bona fide liberè versari permittitur. Et tandem rex missis quibusdam armatis jubet eum adduci ad se, quod fideles Ducis Andogavenfis defuncti explorantes insidias per viam posuerunt, & cum juxta se **Dux OTTO** deduceretur, ipsi ab insidiis erumpentes **Ducem OTTONEM** liberant. & fugatis his, qui duxerunt eum, ipsum secum abducunt & ipse Capitaneus eorum factus est: sed non diu eo tempore cum ipsis perseveravit.

Ex Capite LXXXI.

Post mortem Caroli **Dux Otto** Neapolim recuperavit, & multis de parte sibi contraria interfectis, potentiores quosdam sub custodia detinendos Tarentum destinavit. Regina vero **Margareta** uxor Caroli cum filio suo fugit, & in civitatem **Cajetanam** firmissimam se recepit. Post hoc filius Ducis Andogavenfis defuncti veniens cum exercitu magno, **Dux Ottone** subsidium sibi ferente, Neapolim cum multis aliis civitatibus & castris ipsius regni **Siciliæ** in deditioe suscepit. Eodem anno, videlicet nativitate Domini **DCCCCLXXXVI**, **Barabro tyrannus Mediolanensium** à filio quodam fratris sui, videlicet **Comite Virtutum**, qui Papiam tenuit, captus est & custodiae mandatus; & priusquam per annum in custodia degit, defunctus est, & ipse Comes, filiis **Barrabonis** fugatis, **Mediolanum** cum suo districtu obtinuit universo. Anno **MCCCLXXXVII** **Præfectus de Pterbia**, qui longo tempore Romanæ Ecclesiæ rebellis extiterat, à fidelibus Domini **Urbani** interfectus est. Eodem anno **Dux Otto** & **Domina Margareta** uxor quondam Caroli conciliati sunt.

IX.

EXCERPTA CHRONOLOGICA

DE

DVCIBVS BRUNSVICENSIBVS

ET DE RELIQUIIS ECCLESIAE COLLEGIATÆ S. BLASII

Hæc sunt nomina Reliquiarum, quæ sunt reconditæ in cruce, quæ stat in media Ecclesia ante chorum, quam **Dux HINRICVS** Leo fieri jussit pro remedio animæ suæ. De ligno Domini. De spinea corona. De vestimentis **S. Mariæ**. **S. Johannis Baptistæ**, **S. Stephani Protomart.** **S. Laurentii Martyris.** **S. Christophori Martyris.** **S. Quiriaci**, qui & **Judas**. **SS. Nerei & Achillæi**, & **Pancratii Martyrum**; **S. Nicolai Episcopi & confessoris.** **S. Mariæ Magdalena.**

Istæ reliquæ sunt in capite nigræ crucis, Anno 1312. Sanguis Domini nostri **Jesu Christi**. De ligno Domini. De virga **Aaron**. **S. Bartholomæi Apostoli.** De Innocentibus. **S. Hippolyti Martyris.** **S. Damiani Martyris.** **S. Thomæ Episcopi & martyris.** **S. Cæcilie Virginis & martyris.** **SS. Justii & Arythemii & Honestæ Martyrum.**

Istæ reliquæ sunt positæ in novum plenarium, An. Domini 1311. De ligno Domini, de vestimentis **S. Johannis Evangel.** **S. Matthæi.** **S. Marci Evangel.** **S. Lucæ Evangel.** **S. Petri.** **S. Pauli.** **S. Bartholomæi.** **S. Johannis Baptistæ.** **S. Blasii Episcopi.** **S. Thomæ Episcopi.** De Innocentibus, **SS. Abdon & Sennes.** **S. Godehardi Episc.** **S. Barwardi Episc.** **S. Autoris Episc.** **S. Magni Episc.** **S. Ursule Virginis.** **S. Cæcilie Virg.** **S. Laurentii Martyris.** **S. Adelheydis Imperatricis.** **S. Cunegundis Imp. & Virginis.** **S. Henrici Regis.**

Anno Domini 1312. In vigilia translationis **S. Blasii Episcopi**, est dicata capella, altare & cœmeterium in **Seeverlingeborg**, in honorem **S. Mariæ**, **S. Johannis Bapt.** & **S. Blasii Episcopi & Martyris**, à fratre **Hermanno Belonvilonenfis Ecclesiæ S. Johannis Baptistæ Episcopo**, auctoritate Domini **Alberti de Anehalt**, Halberstadenfis Ecclesiæ Episcopi procurantibus Dominis nostris, **Bal. Decano**, **Eugenio de Medingen Præposito**, **Henrico de Lunenburg**, **Eckhardo custode**, **Thiderico de Gadensted**, **Magistro Brunone**, **Widekindo**, **Sigfrido**, de **Alten**, **Borchardo de Cramme**, & patre suo **Harberto**, **Henrico de Weverlinge**, **Ludolfo de Holleghe**, **Lukemanno**, **Wasmodo de Knefebeck**, **Nicolao de Werle**, **Johanne Felice & Thiderico de Polede de Goslaria**, **Reinboldo Scholastico.**

Istæ reliquæ sunt positæ in altare. De virga **Aaron**, de candela, quam **S. Petrus** consecravit, de velo **B. Mariæ**, **S. Johannis Baptistæ**, **S. Andreæ**, **S. Bartholomæi**, **S. Jacobi majoris**,

S. Stephani Protom. S. Blasii Episc. S. Laurentii. S. Burchardi Episc. S. Margaretae virg. SS. Vndecim millium virginum. Translata est autem ab eodem Episcopo Hermanno dedicatio capellae in diem Dominicam, post festum S. Mariae Magdalenae anno Domini 1312.

(*) Anno Domini 1342. fuit magna inundatio aqua in die Praxedis Virg. à longinquis temporibus inaudita. Nam in alsis montibus unda ebullire videbatur, de terra similiter & in domibus; Ad partem occidentalem omnes fluvii fuerunt magni supra modum.

Anno Domini 1322. in die SS. Johannis & Pauli hora prima, Eclipsis solis fuit generalis, & illo anno periiit annona, & sequente anno sequebatur magna Karistia; ita quod chorus siliginis solvit unam marcam argenti puri, & fuit aura per totum annum multum pluviosa.

Anno Domini 1370. chorus siligina solvit i. marcam ante tempus messis.

Milleno ducenteno quarto nonageno

Remigii sunt suspensi bis quinque magistri,

Dux intromissus; at M tria CCC. minus uno

Hic victor Brunsvik superavit nemine laeso.

Misse trecentos - - - - - Deus annos,

Quando complevit, & Dux in pace quievit,

Mauricii mane, corpusque reliquit inane.

Ter quinquagenos DAVID canit ordine Psalms

Verfus bis mille sexcentos sex canit ille.

(**) Anno Domini 1455. circa Pentecosten, pro una marca Brunsvicensi, qua valuit tres florenos cum III. solidis novis, emerunt in foro decem choros hordei.

Anno Domini 1482. ipso die Jacobi, obiit Illustrissimus Princeps Dominus Wilhelmus, in Brunsvik & Lunenburg Dux. Caecilia de Brandenburg uxor: Mechildis de Holstein & Schomborg secunda uxor. Exequia ejus in trigesimo fuerunt peracta solemniter in laudem Dei.

Domina Gisla de Werle tres viros habuit. Primus fuit Dux Suevia, cui genuit Hermannum Ducem Suevia. Secundus fuit comes BRUNO in Brunsvik, cui genuit Ludolfum in Brunsvik. Idem Ludolfus Ebertum: Idem Ebertus Gertrudis: Eadem Gertrudis Rixam Imperatricem. Eadem Rixa Gertrudis Ducissam: Eadem Gertrudis Ducissa HENRICUM LEONEM Ducem. Idem Dux Henricus genuit Wilhelmum, Wilhelmus Ottonem, Otto Albertum, Johannem, Ottonem, Conradum, Marchionissam, uxorem regis Hollandiae, Dominam de Rugen, Dominam de Anhalt, Ducissam Saxoniae.

3. Item Dominae Gislae fuit tertius maritus Conradus Rex, cui genuit Henricum hujus nominis tertium Regem. Henricus III. rex genuit Henricum IV. Henricus IV. genuit Henricum V. qui pugnavit in Westpholte Anno Domini 1115.

Dominus Henricus Leo duxit Dominam Mechilden, filiam Regis Anglia, de qua genuit Ottonem Imperatorem IV. Henricum Palatinum, Wilhelmum, Luderum, qui puer obiit 1177. Dominus Otto IV. primo habuit Dominam Beatricem, Regis Philippi filiam. Postea Dominam Mariam, sororem Ducis Bavariae, de quibus nullam reliquit heredem.

Dominus Henricus frater ejus duxit uxorem Agnes de Reno, de qua principatum Palatii obtinuit. De ista genuit duas filias, Ducissam Bavaria, & Marchionissam de Baden, quae patre mortuo hereditatem in Brunsvik Imperatori Friderico secundo vendiderunt. Item aliam duxit uxorem Dominam Agnetam, Conradi Marchionis de Landesborch filiam, quae cum nullum haberet puerum, in viduitate sancte & pie vivendo, monasterium religiosarum Dominarum in Winhausen instituit, ubi & quiescit.

Dominus Wilhelmus frater dictorum Dominorum, Principatum in Lunenburg & sedem habuit, & duxit Helenam, Danorum regis filiam, de qua genuit Dominum Ottonem, qui dicitur Puer, in Lunenburg. Iste partem proprietatis suae & partem patris sui Domini Palatini, quam filiae suae Imperio vendiderant, totaliter unitam, jure foedali à Friderico II. habente curiam Maguntiae, recepit, ubi, distante Principum sententia, de proprietate saepe dicta fit ducatus.

Ex alia quapiam ejusdem Ecclesiae membrana.

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 310. passus est S. BLASIUS Episcopus.

Anno Domini 905. fundatum est monasterium S. Michaelis in Lüneborg.

An. Dn. 935. Obiit Dominus Hermannus, fundator ejusdem monasterii.

An. Dn. 940. Obiit Domina Hildegardis, uxor Domini Hermanni fundatoris.

A. D. 1090. Obiit Ebertus Marchio, fundator Cyriaci martyris.

A. D. 1115. Completum est & dedicatum monasterium S. Egidii, S. Johannis Evang. & S. Autoris Episcopi.

(*) Haec scriptura videbatur aliquanto recentior superiori.

(**) Itidem scripta erant manu recentioris alicujus.

piscopi, à venerabili Episcopo *Reginbaro*, petente *Gertrude Comitissa*, & Domino *Henrico Abbate*. Eodem anno commissum est famosissimum prælium nostra ætate in *Welpsholt*.

- A. D. 1117. Obiit *Gertrudis Marchionissa*; filia *Ecberti*, & fundatrix S. *Ægidii* in *Brunswik*.
 A. D. 1166. *Carolus Magnus* de tumba levatus.
 Eodem anno *Henricus Leo Dux* super basem erexit *Leonis effigiem* in *Brunswik*.
 A. D. 1101. Obiit *Adeloidus* Præpositus antiquæ Eccles. nostræ.
 A. D. 1170. Passus est S. *Thomas Cantuariensis Episcopus*.
 A. D. 1173. Fundata est Ecclesia S. *Blasii* Episcopi, quæ nunc est.
 A. D. 1118. Obiit Domina nostra *Mechrildis* fundatrix.
 A. D. 1195. Obiit *Dux Henricus Leo* fundator noster secundus.
 A. D. 1099. Surrexit Ordo *Grifensis*.
 A. D. 1135. Mutatus est conventus *Canonicarum in Luttere*, in ordinem S. *Benedicti*, à *Ludero Imp.* & uxore ejus *Rikza*, mortuo *Bernardo Comite de Haldeleben*, qui primus fuit fundator *Canonicarum*.
 A. D. 1188. Dedicatum est altare S. *Mariæ* in choro.
 A. D. 1208. Surrexit ordo *Prædicatorum* sub Papa *Honorio*.
 A. D. 1213. Obiit *Dux Wilhelmus de Lunenburg*.
 A. D. 1218. Obiit *Otto IV. Romanus Imperator*.
 A. D. 1222. Dotatum est altare S. *Bartholomæi* à *Duce Henrico Palatino*.
 A. D. 1227. Dedicata est Ecclesia S. *Johannis Baptistæ*, S. *Blasii*, & S. *Thomæ*, à venerabili Episcopo *Hildesienfi*, Domino *Conrado*, in die S. *Thomæ* Episcopi.
 Eodem anno in die S. *Vitalis* obiit *Dux Hinricus Palatinus*. Item eodem anno *Dux Otto de Lunenburg* patriæ suæ cepit *Brunswich*.
 A. D. 1228. S. *Franciscus* de tumba levatur.
 A. D. 1241. Facta est Eclipsis Solis in octava S. *Michaelis*.
 A. D. 1246. Translata est dedicatio Ecclesiæ S. *Blasii*, à Domino *Conrado Episcopo Hildesienfi*, in translationem D. *Thomæ* Episcopi.
 A. D. 1251. Rex *Wilhelmus Hollandiæ*, duxit *Bruneswich* filiam *Ducis Ottonis*.
 A. D. 1252. Obiit idem *Dux Otto de Lunenburg*.
 A. D. 1256. Suspendus est *Comes Conradus de Everstein* à *Duce Alberto*.
 A. D. 1258. Datum est castrum *Assborg* *Duci Alberto* Seniori.
 A. D. 1264. Captus fuit *Albertus Dux Senior*, Apostolorum *Simonis & Judæ*.
 A. D. 1277. Obiit *Dux Johannes de Lunenburg*.
 A. D. 1279. Obiit *Dux Albertus*.
 A. D. 1279. Obiit frater suus *Otto Hildesienfi Episcopus*.
 A. D. 1294. In die S. *Remigii* sunt suspensi X. magistri *Gildonum*, undecimus decollatus, duodecimus evasit per absentiam.
 A. D. 1299. In die S. *Pancratii* immixtus fuit *Dux Albertus junior*, cum magno exercitu *Bruneswich*, à *Conrado Molendinario*, extra valvam S. *Andræ*, sine aliqua caede & aliquo bello.
 A. D. 1292. Obiit *Dux Wilhelmus*, filius *Ducis Alberti Senioris*.
 A. D. 1300. Fuit annus *jubilæus*, cum omnes irent ad curiam Romanam pro indulgentia, quæ tunc fuit à novo confirmata à Domino Apostolico *Bonifacio VIII*.
 A. D. 1308. Fuit magnus cursus de viris & mulieribus, volentibus ire transmare, temporibus *Clementis Papa V*. Isti appellabantur *Crützebrödere*.
 A. D. 1311. Circa festum S. *Johannis Baptistæ* fuit factus miles *Otto*, filius *Ducis Alberti junioris*, à *March. Woldek*, patre & matre viventibus, & fuit tunc 19. annorum.
 A. D. 1312. Dominus *Clemens Papa V*, destruxit omnino *Ordinem Templariorum*, in concilio generali, *Viennæ* celebrato.
 A. D. 1313. Obiit *Dux Henricus*, gloriosus *Cesar VI. & Imp. Romanorum*. Occisus per venenum in ablutione, postquam communicaverat: dicitur à quodam fratre de *Ordine Prædicatorum*, suo Confessore.
 A. D. 1314. Circa festum S. *Ambrosii* obiit *Papa Clemens V*.
 I. S. D. *Scriptor iste videtur è vivis decessisse Anno 1314. singulis enim annis eum nonnulla præcedentibus addidisse, argumento erant calami & argumenti mutatio.*